










1. Edini Descriptio historica Familiae ab Alvensleben seu in
 moribus, incrementis et memorabilibus Chagaburgi 1681.
2. Metters Schediasma historicum quoad familiam ab
 Alvensleben Praescho. 1727.
3. Wilmanni Oratio super vita et morte Ludovici Alvens-
 leben. Genae 1610.
4. Rharachii Epithalamium nuptiarum ad Ludovicum Alvens-
 leben et Elisabethae a Schulenburg Helmstedt 1590.
5. Hoffmanni Carmen in fer. paschales praenuntiatio
 Alvensleben dedit.
6. Meibomia Epitaphium Elis. a Schulenburg conj. da
 Salubria Alvensleben Helmstedt 1660.
7. Dinaueri Epitaphium in obitu praenuntiatio
 Alvensleben Helmstedt 1588.
8. Waltheri Comment. de origine Rharachii
 Burginae Chagab. 1728.
9. Perscheni Elegia in obitum Memoria Schulenburg
 Chagab. 1581.
10. Rharachii Carmen Heroicum de vita a Schulenburg
 dedit. Chagab. 1504.
11. Rharachii Schulenburgiadis libri V. Magd. 1611.
12. Alvensleben Epithalamium in nuptias Georgiae Schu-
 lenburg et Annae de Schulenburg 1599.
13. Rharachii Hellenisticos ad Mattheum de Schulenburg
 Helmstedt 1594.
14. Chelismata manibus Rharachii Rharachii
 a Schulenburg Chagab. 1611.
15. Chelismata über die Maieratsfolge in der Rharachii
 Rharachii Successione. all. Frankfurt am Main.

Septem. Trajedi ad Hadrum 1781.

15

Dr. J. B. F. 27th Jan 1803.

Freiburg 1753.

1769

Magdeburg 1790.

1751

He has died 1727.

Helmstedt 1782.

Haile 1757.

Attacke Halle 1752.

Sept 25 Search Hall 1737

14. *Trapa: Halic 1452*

Blumenthal H. 16 m

22
EPITHALAMION
IN HONOREM NVPTIARVM
ANTIQA NOBILITATIS PROSA-
pia, virtute, & bonarum artium nec non exoticarum Lin-
guarum cognitione ac peregrinatione
ornatissimi Viri, Don:

GEORGII A SCHVLEN-
BURGK, HEREDITARII IN
DREBESSEN, SPONSI, DNI AL-
berti p. m. filij in Dambeck olim præfidis
veteris Marchiæ dignissimi,

ET NOBILISSIMAE AC
LECTISSIMAE VIRGINIS

ANNÆ A SCHVLENBURGK
*Doni. Levinii à Schulenburgk, p. m. Ecclesiæ Cathedralis
Magdeburgensis olim Decani & Ecclesiæ Havelbergensis
Præpositi præstantissimi, relictæ filiæ, Sponsæ, quæ in arce
Arxleben ipsa die S. Catharinæ, quæ erit 25. Nouemb.*

*Anno salutis 1599. celebrabuntur, pro felici
auspicio & pio omine scriptum*

& oblatum

A

BALTHASARO A SEHNDEN D.

Vlyssæ Michael Cröner excudebat.



Ncipe jam solitos mecum mea tibia versus,
Dum fundo alternis Carmina pauca modis:
Carmina cantemus, suaves urantur odores
Vrantur sacris pingua thura focis.
Sit procul anxietas, procul hinc dolor omnis abesto,
Adsint leticiæ sint pia vota pijs:
Expectata dies cum jam sua lumina tollat,
Qua duo legitimus corpora nectit Hymen.
Queritur an socij felicia fœdera lecti,
Num sit virginitas laude vehenda magis?
Res bona virginitas, cœlebs est vita probanda:
Coniugibus cum sint multa ferenda mala:
Coniugium remora est, quando horrida bella mouentur,
Quæ procul ex patriis finibus ire jubent.
Hoc probat Hipponax, quod sit mala fœmina ducta,
Sed bona sit quando contumulatur humo.
Fœmina, aqua atq; ignis tria sint mala sæpe vocanda,
Euripides siquidem comprobat illa mala.
Ergo malum certè capit hic, cui jungitur uxor,
Dicit is, absit honos, hoc tibi desit onus.
Sic quoq; post illos socialia Papa negavit
Fœdera coniugij: voce styloq; malo.
Laudat virgineam mentem meritò, quid ad ipsum
Hæc laus? cui non est virginitatis amor.
Dum cleri mavult Veneris præcordia flammis
Vri, quàm casti vincla subire tori.

Vnde

Vnde cucullati monachi Vestæq; sorores,
 Ordinibus variis grex malus unde venit.
 Qui nihil in toto statuunt illustrius orbe,
 Cælibe quàm clerum consensuisse toro.
 Sancta etenim cælebs & spiritualia tractat,
 Maxima sic summo cura placere Deo est.
 Virginitas potis est sacris incumbere votis,
 Et grata hæc Domino fundere vota Deo.
 Econtra coniunx peragit mundana marito,
 Vir studet uxori, aut hæc placuisse viro.
 Hinc qui non norunt socialia fœdera læti,
 Vincula non querant quæ sua colla premant.
 Nam sunt multa molesta bono toleranda marito,
 Quæ carnem macerant nocte dieq; suam.
 Degeneres fiunt nati, mox increpat uxor,
 Murmure jam verbis obstrepat ausa viro:
 Vel crispantis ab hac cernit fastidia nasi,
 Vnde cadunt lachrymæ, verbera, parva quies,
 Nec tangunt tantum privata cubile mariti,
 Sed thalamos intrant publica damna suos.
 Hinc libertatem, qua nil præstantius unquam
 Plautus ait, vendit, liber & esse nequit.
 Quisquis enim thalami jungit sibi lege puellam,
 Mancipium mox fit coniugis ipse suæ.
 Nam genus hoc vitæ nunquam per tempus initur,
 Prima fuit qualis, talis habenda viro est.

Seu fatua, iracunda, procax aut dura sit illa
 Coniugis hæc donec tuta superstes erit:
 Gordius hic nodus est Pastoris, solvere Doctor
 Quem poterit nullus, fataq; nulla queunt.
 Non etenim poterit salua ratione secari,
 Aspera sola nodum hunc mors secat atq; lues.
 Hinc melius Sophocles omnino ducere nullam
 Vxorem, & nullam se sociare putat.
 Nam rogo, quam duces? inquit, pulchramne puellam,
 Aut hanc cui frontis ruga senilis adest.
 Dic age? si turpis, τοινυ, si pulchra ea, κοινυ:
 Hinc duci in thalamum nulla puella potest.
 Obducta melle ut nostras absynthia linguas
 Condulcant primum, succus amarus inest.
 Sic dulcis furor est, & grata insania virgo
 Haud aliter distant fœmina, dulce malum.
 Ergo cum fervens iungit duo pectora flamma
 Res facit insani hoc plena furoris amor.
 Coniugium quod sit res dura Simonides inquit,
 Hinc veniat docto gratia nulla viro?
 Mox etenim coniunx turbarum semina spargit
 Instinctu Satanae, fons & origo mali:
 Nunc numerat dotis fulgentia pondera & auri,
 Iugera vel culti magna recenset agri,
 Hinc audet stultè præscribere iura marito,
 Nil licitum præter, quam facit ipsa putat.

Quod

Quod mens ingenua hinc non iudicat esse ferendum,
 Et dominam verbis verberibusq̄ domat.
 Ergo procul fugiat socialis fœdera lecti
 Coniugio abstineat, liber ut esse queat:
 Magna etenim crux est, thalamiq̄ miserrima vita
 Cum non constanter se vir & uxor amant.
 Talia sic passim Græcorum plura leguntur,
 Casta quibus saltem fœmina scomma fuit.
 Accipe nunc igitur ter Mi præclare Georgi,
 Quæ facit in thalamos vota Thalia tuos:
 Hæc cantata quidem tenui sunt carmina plectro,
 Nec satis exculta lusimus illa chely:
 Tu tamen haud tetrico vultu doctissime sponse
 Spernas, sed grata sumito parva manu.
 O quam concinna sapiens Deus omnia lege
 Condidit, atq̄ sui quæ monumenta dedit?
 Num totam rerum seriem si mente revolvās
 Ex uno verbo grande creavit opus:
 Syderibus veluti varijs signavit Olympum,
 Mandavitq̄ suas ire redire vias:
 Sic Deus auspicio disponens cuncta secundo
 Instituit casti vincula sancta tori.
 Nam postquam ex terræ limo formatus Adamus,
 Vitalem est nactus spiritum ab ore Dei:
 Ipse feras inter solus spatatus in horto
 Non vitæ socium vidit adesse sibi.

Non est ergo bonum, Deus inquit, solus Adamus
 Vt maneat, vitæ est huic facienda comes:
 Nec mora, stertentis sumpsit de corpore costam,
 Cui pulchræ formam & virginis ora dedit.
 Mox paranympheus adest, Deus hanc adiungit Adamo,
 Cordis ut unius costa verenda foret.
 Copulat hæc igitur Domini duo corpora dextra,
 Quæ fieri quæ velit, talia voce refert:
 Crescite & augete, hanc vestro de sanguine terram
 Sub vestrum imperium cuncta creata dedi.
 Sanguine de vestro mihi sancta Ecclesia crescat,
 Quæ me perpetuo laudet ametque Deum.
 Sic Deus instituit casto sub fœdere legem,
 Vt subeant unum fœmina masculinorum.
 Sic posuit metas, & leges sanxit amori,
 Vincula coniugij sic veneranda dedit:
 Ne vaga suspectis errent incendia flammis,
 Sed stabili duret pectore fixus amor.
 Nam veluti mens casta Deus, sic pectora casta
 Legitimoque tori fœdere iuncta probat.
 At scelerum poenas iustissimus exigit ultor
 Illicitas flammæ afficit ille malis.
 Damnat hic, & fœdos hostiliter edit amores,
 Castus & impuras improbat ipse preces.
 Dic mihi diluvio pollutus cur perit orbis?
 Propter adulterij crimina fœda sui.

Dic

Dic mihi Roma, tuæ quæ sit tibi causa ruina?
 Inversum nomen cæca libido fuit.
 Quid non tale monet clades iustissima Sparta,
 Stuprata infandam virginis ulta necem?
 Virginis ulta necem, quæ cum fuit hostibus hospes
 Hospes ei contra durior hoste fuit.
 Non opus exemplis majorum, scilicet huius
 Vita rei speculum quotidiana refert:
 Bella, fames, pestesq; graves, pietasq; fidesq;
 Extinctæ, pœnas rebus adesse notant.
 Et meritò, quid enim vehementius oderit ille,
 Qui sine peccato est, qui sine labe Deus.
 Ergo coniugium vitæ sanctissimus ordo,
 Et status hic felix cuius origo Deus.
 Quem Deus æternus patrio dignatur amore,
 Victu augetq; fovet, protegit, ornat, amat.
 Quod probat exemplo se fata sinistra piorum
 Dirigere, & patria velle levare manu.
 In Canæ gratus cum factus mœnibus hospes
 Abluit egregio Nectare fontis aquas.
 Haustaq; commutans in suavem flumina Bacchum,
 Tale pium vitæ comprobat esse genus.
 Ah miserum turpi qui concitus æstuat igni,
 Immundoq; pium fœdat amore torum:
 Scilicet hunc thalami gaudentem excedere metas
 Hei quam dura Deo vindice pœna manet.

Rasa cohors igitur quanquam sua venditet amplis
Mentitæ ampullis vota pudicitia.
Et contrà virus dirum vomat ore maligno
Coniugij in sacri iura probata Deo.
Nil tamen efficiet nugis, mentitur & errat,
Turpiter, haud metuit stupra & adulteria.
Spurcities lasciva Venus, vesana libido,
Cœlibus hæc vitæ gloria summa sua.
Coniugij hostem tantum se præstat ut esse
Sævior haud possit bestia fœda Papa.
Huic magis arridet resolutò vivere collo
Quam mandata tori vincula sancta pati.
Tolle tuas nugas igitur gens improba Cleri,
Coniugij summo vita probata Deo est.
Ite procul reliqui damnantes vincula lecti,
Qui reprobant sociam, quam Deus ipse probat.
Fœminei sexus primus nam fautor & author:
Quod supra ex sacris nostra Thalia canit.
Perdita libertas dicunt, cum ducitur uxor,
Legitimo quis non sentit inesse toro?
Non est libertas inhonesto more vagari,
Non est libertas degere more feræ.
Fœmina dulce malum, male dicitur esse, sed illa
Si bona: cur non sit dulce puella bonum.
Herba mala est, mulier, ut falsò Accursius inquit,
Herba bona est mulier, quod sacra verba probant.

Quaritur

Quæritur anne omnis sit talis fœmina? credas
Omnis qui spectes fallere sæpe solet.
Coniugij non culpa malorum tanta caterua
Quæ sæpe impendant coniugibus miseris:
Peccati est, posito peccato pœna secuta est,
Mas patitur pœnam, quæ vitio attrahitur.
Et licet interdum diuini numinis osor,
Immittat thalamo tristia multa Satan:
Nil tamen hæc obstant modo mens ad sydera palmas
Tollat, & auxilium simplice corde roget.
Cum pia amansq; viri coniunx & mente decenti,
A Domino venit, sedibus æthereis.
Contingitq; illis qui pura mente verentes
Sæpius effundunt vota precesq; Deo.
Talia quod casta meditatus mente fuisti
Non levis est cœpti, candide sponse, tui,
Quod cohibes flammæ vesani castus amoris
Dignatus thalami dulce subire iugum.
Desponsante Deo, connubia prospera fiunt
Invito cedunt, omnia læua Deo.
Cum novus Italicas lustrabas aduena terras,
Ille tui custos sæpe pudoris eras.
Illecebras reprimens, & cœci philtrea furoris
Quam peteres sponsam Teutonis illa fuit.
Fama volat passim tam rari nuncia facti,
Et celebrat clari nomen opusq; viri.

Ergo

Ergo, Sponse, tua hæc, quam nunc habiturus es Anna
 Iungetur lateri jam modo costa tuo.
 Lux tua quam toties tibi spe votisq̃ petisti,
 Ibit in amplexus casta puella tuos.
 Anna latus pulchri pulcherrima virgo mariti
 Cinget, ut ad solitum saltet & ipsa modum.
 Cæsaries aurum facies n̄veumq̃ colorem
 Vincit, & in toto corpore candor inest.
 Quod cupis ecce capis, tibi vita carius ipsa,
 Munus habes, thalami fida marita datur.
 Læteris, gratesq̃ Deo pro munere solvas,
 Qui sponsam adducens mox paranympheus erit.
 Sponsaq̃ te cupiet, suspiret & ardeat unum,
 Schulenburgiano sanguine virgo sata:
 Numen inest sponse, fatale est nominis omen,
 Nomina conveniunt, pectora convenient.
 Palmite sed tenui veluti propago racemos
 Explicat, & ramis multiplicata viget.
 Sic tua se latè distendat, sponse, propago
 Incluta Schulburgi sit diuturna domus.
 Qui procul externas urbes, & regna petisti,
 Clarus ab antiquo sanguine natus eques.
 Lustrasti Italiam per tot discrimina rerum,
 Gallia quicquid habet, Anglia quicquid habet.
 Vnde tibi magnum est varios cognoscere mores
 Exoticis linguis verba diserta fluunt,

Nunc

Nunc tibi cura domus fulvo præstantior auro
Sit cultus Superum & pacis amica quies.
Sit tibi Sol clarus, tibi sit rogo, lucida Phæbe,
Terra dabit fruges, Mildæq; pisciculos.
Gratulor ergo tibi fortunam sponse benignam,
Atq; precor thalamo prospera cuncta tuo.
Sis felix, nostriq; memor, te nostra vicissim
Semper inoblito pectore Musa feret.
Anna tori consors clari nunc facta Georgij,
Felicem prolem concipe, vive, vale.

FINIS.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

F 1 M 1 3

AB 155 199

ULB Halle


004 841 417

3



TA 70L

09.2001 Gd,



22

ALAMION

EM NVPTIARVM

BILITATIS PROSA

rtium nec non exoticarum Lin-

one ac peregrinatione

mi Viri, Don:

A SCHVLEN

REDITARII IN

SPONSI, DNI AL-

Dambeck olim præfidis

chiæ dignissimi,

ISSIMAE AC

MAE VIRGINIS

HVLENBURGK

urgk, p. m. Ecclesiae Cathedralis

ani & Ecclesiae Havelbergensis

electæ filiae, Sponsæ, quæ in arce

harinæ, quæ erit 25. Nouemb.

q. celebrabuntur, pro felici

io omine scriptum

oblatum

A

DA SEHNDEN D.

l Cröner excudebat.